Nobilissime Domine,

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

De filio tuo est ἁμάρτημα μνημονικόν. Nec anxie deprecabor errorem, qui hic veritati facile praeferendus. Subito scribentis memoriae occurrebat carmen clarissimi Heinsij nostri in filiolum primogenitum, ut iam vidi cum gaudio, valentulum. Dignum hoc artificis grande parentis opus, ut cum in summo gloriae fastigio positas superare nequeat, saltem aequet maiorum virtutes, debitaque tantis virtutibus consequatur praemia. Quod illi longe facilius, si haereditarijs ingenij dotibus inter paucos excellens diu mortalibus intersit, quam si immaturo fato ad plures abiens mortalitatem exueret. At vero maiorem tibi, Nobilissime Domine, qui non surculo, ut scribis, sed toto trunco sis orbatus, cordolij caussam esse oblatam obitu praestantissimae uxoris, equidem vehementer doleo. Non ignarus enim tanti mali, non leviter lugentibus συμπάσχω. Sed quaeso, dum de Excellentia foeminei sexus scribo, ne divinis tam excellentis heroinae virtutibus opus meum orbatum patiare. Videre potuisti capitum argumenta ex Epigrammatis Boyi nostri. Ipse etiam tuto deferre posset versus illos bis mille in gratiam olim, et rogatu lectissimae matronae, scriptos, absque dubio usui et ornamento futuros operi vernaculo, quod hic iam coepit excudi. In Latino carmine, quod honori meo scribere dignatus es, ut elegantiam ac δεινότητα unice admiratus sum: ita profecto erubui ad laudes meas, quas larga nimis manu, sed benigna, congeris. Fortasse poëtarum sacra aliter non constant, et, ut ille dixit, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί imo et amici de amicis. In gemina persona errorem tuum non minus aequo feram animo, quam te meum de filiolo tulisse autumo. Accepi heri nobilissimae Schurmanae de Vitae termino Epistolam, qua vix quicquam doctius, vix elegantius aut solidius scribi posse videtur. Illa erit totius disputationis terminus. Praemittam tamen, quas ex Italia, et aliunde misere. Ἔῤῥωσο ἄνερ εὐγενέστατε καὶ φίλτατε

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Dordrecht VII. Kal. Mart. CIƆ IƆ CXXXIX.

Nobilissimo nomini tuo
observantissimus
cliens
Beverovicius

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Beverwijck) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2050

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Beverwijck) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2050

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Beverwijck) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2050

Nobilissimo Heroi
D. Constantino Hugenio,
Equiti, Zuylichemi Domino,
Principi à consilys & secretis.

Hagam.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Beverwijck) 4
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2050